

siam, quem D. Thomas hic imitatur, ex qua doctrina a contrario sensu videtur, si prædicta mutatio ex illa intentione oriatur, fore substantialem. In contrarium vero est, quia tunc mutatio est substantialis, quoniam tollitur sensus verborum formæ: sed ad hoc nihil referre videtur scientia vel intentio ministri, quia sensus verbi pendet ex significatione ejus, significatio autem consequitur verbi prolationem: si ergo eadem sit prolatio et compositio verborum, eadem erit significatio atque idem sensus, quidquid minister intendat, sciat, aut ignoret. Confirmatur: nam, si minister integre proferat formam, non potest mutare sensum ejus, etiam si ipse velit aliud intendere, vel significare: et similiter, si ita corrumpat formam, ut in re ipsa mutetur sensus ejus, etiam si ipse maxime intendat et cupiat verum sensum proferre, mutatio erit substantialis; ergo e contrario, si verba non adeo corrumpantur, ut amittant sensum et significationem, non poterit mutatio esse substantialis, quidquid minister intendat. Et ratio universalis est, quia significatio et sensus pendet ex re ipsa, et non ex intentione, si major, vel minor mutatio in re non fiat.

2. *Tribus modis minister potest mutare verba.* — *Primo, nec sciens, neque intendens.* — In hac re oportet distinguere scientiam ab intentione, quia diversæ difficultates ex eis oriuntur. Tribus igitur modis potest se habere minister in hac mutatione. Primo, ut bona fide operetur, nullam existimans se mutationem efficere, sed ex imperitia ita corrumpat, vel mutet verba, quia putat ita solere proferri, quod etiam potest contingere ex naturali linguæ impedimento, ut si non possit aliter verba proferre, et in hoc casu loquitur Zachar. Pap. supra, et in eo procedunt sine difficultate omnia, quæ in superiori sectione dicta sunt.

3. *Secundo, sciens, et intendens ipsam tantum mutationem.* — *Regula tenenda.* — *Explicatur D. Thomas.* — Secundo fieri potest, ut minister, sciens et videns, voluntarie faciat hujusmodi mutationes, non animo introducendi novum ritum, sed vel ex indiscreta devotione, aut potius superstitione, vel ex alio vano motivo. Et in eo casu aliqui sine distinctione affirmant, mutationem esse substantialem, et putant esse sententiam D. Thomæ hic, art. 7, ad 3, quam indicat Anton., 3 p., tit. 44, c. 43, § 3. Sed simpliciter est falsa sententia; unde regula generalis statuenda

est: si minister habeat intentionem faciendi sacramentum, quamvis sciens et videns aliter proferat verba, quam communiter proferri solent in Ecclesia, ita tamen, ut in eis non mutetur sensus verborum, mutationem esse accidentalem; atque adeo sacramentum esse validum, licet in ea actione minister peccet, ut infra videbimus. Ita sentiunt omnes Theologi statim citandi. Et ratio est, quia juxta Concil. Florent. omne sacramentum tribus perficitur: materia, forma, et ministro debita intentione operante, quibus concurrentibus, necessario fit sacramentum; sed in eo casu omnia ista concurrunt, nam supponimus adhiberi veram materiam, et ministrum habere intentionem faciendi quod Ecclesia facit: ex parte autem formæ non est defectus essentialis, quia manent verba cum eodem sensu (ut etiam in casu supponitur); ergo est tantum mutatio accidentalis. Neque D. Thomas in illa solutione contrarium docuit, sed potius, si attente legatur, hoc potest colligi ex ejus doctrina: nam in primis ibi non agit absolute de omni mutatione, sed de illa, quæ fit per corruptionem verborum. Deinde non dicit simpliciter, quando hæc mutatio fit ex certa scientia, non perfici sacramentum, sed dicit, non videri perfici sacramentum; quia nimirum ille, qui scit esse dicendum in forma baptismi, in nomine Patris, et voluntarie corrumpit ac dicit, in nomine Patrias, videtur potius per jocum, aut contemptum velle proferre formam, quam ut conficiat sacramentum, aut certe vult aliud significare, quam Ecclesia intendat; quamvis autem hoc signum sit probabile, non tamen certum: potuisset enim minister ex alia intentione sic operari retenta substantiali intentione faciendi sacramenta, quod in aliis mutationibus facilius est: ut si quis brevitas causa verbum aliquod voluntarie omittat, vel addat ob indiscretam devotionem, quod manifeste docet D. Thomas in art. 8.

4. *Tertio, sciens, et intendens novum ritum inducere.* — *Prima sententia.* — Tertio modo fieri potest, ut minister non solum ex certa scientia mutationem efficiat, verum etiam per eam intendat novum ritum et errorem in Ecclesiam introducere, et in eo casu prima sententia valde communis est, mutationem esse substantialem, ac veritati sacramenti contrariam. Ita videtur sentire D. Thomas hic, art. 8, et in 4, d. 3, quæst. 1, art. 2, quæst. 3, et ibi Bonav., art. 2, quæst. 3, ad fin., in illis verbis: Nisi velit introducere errorem. Alex.

Alens., 4 p., quæst. 43, memb. 3, art. 3; D. Anton., loco paulo antea citato. Qui auctores generaliter loquuntur. Alii vero specialiter hoc affirmant, quando minister intendit aliquid addere formæ, tanquam essentielle, quod non est ex Christi institutione necessarium, vel si intendit auferre aliquid, putans esse essentielle, cum revera non sit, nam in hujusmodi eventibus et similibus negant confici sacramentum propter formæ mutationem. Ita opinatur Gabr., in 4, d. 3, art. 2, concl. 3; et ibi Scot., quæst. 3; Richar., art. 2, quæst. 3, et huic sententiæ videtur favere decisio Zach. Pap., in d. c. *Retulerunt*. Fundamentum autem prædictorum auctorum est, quia minister, qui intendit introducere ritum Ecclesiasticæ traditioni contrarium, non potest intendere facere quod facit Ecclesia; et similiter, qui intendit addere, ut essenziale præter Christi institutionem, non potest intendere efficere veram essentialiam sacramenti, et multo minus id potest, qui intendit tollere aliquid, quod putat esse essentielle: sed absque debita intentione ministri non potest perfici sacramentum, ut infra dicemus; ergo.

5. *Secunda sententia.* — Secunda sententia est, non pendere ex intentione ministri, quod mutatio sit substantialis, vel accidentalis, sed attendendam esse regulam supra positam, an in re ipsa destruat legitimum sensum formæ, necne: quia si non destruitur, mutatio erit accidentalis, etiamsi minister intendat introducere novum ritum Ecclesiæ contrarium, dummodo intendat facere sacramentum, nam hæc duæ intentiones non sunt contrariæ. Et, quoniam ex hoc ultimo magna ex parte pendet fundamentum hujus sententiæ, illud in primis probandum est. Primo exemplis, seu inductione quadam: nam Græci intendunt plures ritus, ut essentielles, qui revera non sunt necessarii, putant enim panem fermentatum esse de essentia Eucharistiæ; et similiter verbum illud, Quod pro vobis tradetur, esse de essentia formæ, qua corpus Domini conficiatur, et illam formam baptismi, Baptizetur servus Christi, ita ut in ea non exprimat persona ministri, esse essentialem, et hæc non obstant quominus et intendant facere sacramentum a Christo institutum, et re vera faciant, quia in re ipsa vera materia, ac vera forma utuntur. Similiter Donatistæ intendebant, de necessitate sacramenti esse, ut minister sit fidelis, vel justus, et hunc ritum volebant in Ecclesiam intro-

ducere: et nihilominus verum baptismum conficiebant, ut Augustinus, contra illos scribens, tanquam indubitatum ubique supponit. Rursus inter Catholicos sæpe est quæstio, an aliquod verbum sit de essentia sacramenti, necne, ut v. gr. in forma sanguinis de verbis illis, Qui pro vobis et pro multis, etc. Si quis ergo opinetur, esse essentialia, et hoc modo intendat illis conficere sacramentum, quamvis contingat re ipsa non esse de essentia, non propterea non conficiet, quia illa privata opinio et intentio non excludit absolutam et generalem intentionem conficiendi, sicut Christus instituit, et alioquin non impedit, quominus sufficiens materia et forma applicentur.

6. *Cum errore privato potest esse simul intentio conficiendi sacramentum.* — *Soti sententia refutatur.* — *Error in actu tantum exercito positus in forma, non vero formaliter expressus, sacramentum non destruit.* — Unde argumentor secundo ratione, quia cum errore privato potest simul esse generalis intentio faciendi sacramentum, ut ex dictis patet, et latius dicitur infra quæst. 64, et ex se videtur manifestum: quia illæ duæ intentiones non sunt contrariæ in objectis suis, et ideo non est necesse, ut altera alteram excludat. Unde, si contingat, ministrum non habere intentionem faciendi sacramentum, erit quidem sacramentum irritum, non tamen ex eo capite quod nunc tractamus, scilicet, ex mutatione formæ aut materiæ, sed ex alio extrinseco, scilicet ex defectu intentionis, qui non est necessario conjunctus cum tali mutatione, et conjungi posset cum materia et forma integre exterius exhibitis sine ulla mutatione. Et hanc opinionem tenet Durand, in 4, d. 3, quæst. 2; clarius Palud., quæst. 4, n. 15; et fere Adrianus, in materia de baptis., q. 3, in 2 p. illius, quamquam ex parte videatur primæ sententiæ assentire; tenet etiam Ledes., in 4, 1 p., q. 4, art. 7, ubi ad D. Thomam respondet eodem modo, quo paulo antea explicuimus solut. ad 3, art. 7, scilicet, ut non simpliciter neget, in hoc casu confici sacramentum, sed solum dicat, ita apparere, id est, ministrum sic operantem suspicionem generare, quod non debita intentione sacramentum conficiat. Tandem Soto, dist. 1, q. 4, art. 8, et d. 3, quæst. 4, art. 5, licet Paludani sententiam reprehendat, postea vero vel in eam incidit, vel non satis constanter loquitur: dicit enim, si is, qui intendit errorem inducere, eum exprimat in forma, tunc

esse mutationem substantialem, et non fieri sacramentum, ut si quis existimans personas divinas esse inæquales, hoc significet in forma baptismi, dicens: In nomine Patris majoris, et Filii minoris. Si autem (inquit) error non exprimat in forma, privatus error non obstat, quominus fiat sacramentum. Sed inquiri, quomodo existimet necessarium, ut error in forma exprimat: aut enim id fieri necesse est, mutando legitimum sensum formæ, ut in exemplo supra posito contingit, et tunc res est extra controversiam, nam tunc illa mutatio est substantialis, non ex defectu intentionis, sed quia in re ipsa verus sensus destruitur: aut vero ad hoc, ut error exprimat in forma, satis est, quod ex tali errore et intentione aliquid verbum addatur vel subtrahatur formæ, etiamsi ex ea additione vel subtractione sensus formæ non mutetur, et sic non loquitur consequenter; nam rationes omnes, quibus probat posteriorem partem illius disjunctionis, scilicet errorem non expressum in forma non esse contra substantiam sacramenti, probant, etiamsi sit expressus prædicto modo, non obstare veritati sacramenti, quia omnes fundantur in hoc, quod non mutatur sensus formæ. Unde potius videtur sentire (et merito) tunc errorem non esse expressum in forma, quando, etiamsi aliquid sit additum vel subtractum formæ, nullus error per eam significatur; ut in prædicto exemplo, si quis in forma panis Eucharistiæ, ex errore Græcorum, et intentione inducendi novum ritum, addat illud verbum, Quod pro vobis tradetur, quamvis in actu exercito (ut sic dicam) errorem suum prodat in forma, tamen non illum exprimit quasi in actu signato; non enim dicit in ipsa forma illam particulam esse essentialem, nec propter illam additionem error aliquis in forma ipsa significatur. Quod si hunc sensum intendit Soto, incidit in opinionem Palud., ut ex dictis patet, quia ille supponit mutationem esse talem, ut legitimus sensus non mutetur. Adhibet præterea Soto distinctionem aliam de ministro tolerato, vel non tolerato ab Ecclesia, quæ ad præsentem controversiam nihil refert, sed solum potest deservire ad præsumptionem quamdam: nam, si minister sit hæreticus, vel ab Ecclesia præcisus, facilius potest dubitari, an veram habuerit intentionem conficiendi sacramentum: si tamen illam habeat, eadem ratio est de illo, et de quocumque alio, ut latius dicemus, quæst. 64.

7. *Quid ex his opinionibus verum.* — *Omit- tens aliquid, quod putat falso esse essentialē, potest etiam habere intentionem conditionatam conficiendi sacramentum.* — In utraque istarum opinionum aliquid verum inveniri potest, et ideo possunt, vel in concordiam redigi, vel ita distingui, ut ex utraque aliquid eligamus, et aliquid relinquamus. Primo ergo supponendum est, aliud esse agere de effectu sacramenti ex defectu materiæ, vel formæ ejus, aliud vero ex eo quod minister non habet intentionem faciendi sacramentum, nec in particulari, nec in generali, scilicet intendendo facere quod instituit Christus, vel Ecclesia facit. Hic solum ac præcise agimus de priori defectu, non de posteriori, de quo in q. 64 agendum est; hi enim duo defectus per se sunt separabiles ad invicem, et quilibet eorum sufficit ad sacramenta irritanda; quod recte intelligitur in quodam exemplo supra posito de ministro qui omittit aliquid verbum, vel aliquam partem materiæ, ut essentialē ex falsa sua existimatione, cum re vera non sit; ut si in forma sacramenti penitentiae omittat invocationem Trinitatis putans esse essentialē, vel in materia calicis omittat infusionem aquæ, tales enim mutationes non possunt dici substantiales propter falsam ministri existimationem. Neque ex eo capite sacramentum esset nullum, quia in re habetur quidquid est simpliciter necessarium: ex defectu autem intentionis, regulariter erit nullum tale sacramentum, quia moraliter loquendo, fieri non potest, ut habeat intentionem faciendi sacramentum, qui omittit aliquid, quod putat esse essentialē: sicut est impossibile intendere finem, et omittere medium quod necessarium simpliciter existimatur. Dico autem, moraliter loquendo, quia speculative fingi potest, eum, qui sic operatur, habere intentionem generalem efficiendi quidquid illis verbis effici potest, et licet privato errore existimet, nihil per sola illa fieri posse, tamen habere potest quasi conditionatam voluntatem efficiendi sacramentum, si fortasse illa verba sufficiunt; et tunc sine dubio fiet sacramentum, quia nihil ex necessariis deest: quod est manifestum argumentum, ex parte mutationis formæ aut materiæ nihil substantiale ibi deesse, quandoquidem adhibita sufficienti intentione statim fit sacramentum.

8. *Intentio novi ritus inducendi, vel relinquit verum sensum formæ, vel reddit ambiguum.* — Secundo est observandum, muta-

tionem formæ, per quam quis intendit novum introducere ritum, interdum posse esse talem, ut neque excludat verum sensum formæ, nec reddat illum ambiguum, sed omnino eundem relinquat, solum addendo aliquid, vel modum proferendi immutando, ut si in forma Eucharistiæ intendat addere illa verba: *Quod pro vobis tradetur*, ut essentialia, vel si formam eandem proferat in vulgari lingua: *Este es mi cuerpo*, intendens hunc ritum ut essentialē et necessarium introducere. Secundo potest talis esse mutatio, ut licet non destruat sensum, reddat tamen illum ambiguum, et æquivocum, ut in illo exemplo: *Ego te baptizo in nomine Patris*; in his enim verbis illa saltem est ambiguitas, quod ex vi verborum non habent sensum legitimum, licet ex accommodatione et circumstantiis possint illum habere, et clarius exemplum esset, si quis in forma panis Eucharistiæ hanc mutationem faceret, *Hic est corpus meum*, manet ambiguum, an illa particula, *Hic*, sit pronomen, et ex ignorantia ponatur masculinum pro neutro, an vero sit adverbium locale, quod ponatur ad introducendum errorem, veram transubstantiationem excludentem.

9. *Ex intentione novi erroris præcise non tollitur sacramentum.* — Dico ergo primo: quando per mutationem nullo modo variatur sensus formæ, non potest esse substantialis propter solam intentionem ministri volentis introducere novum ritum; neque etiam propter eam causam præcise sumptam sacramentum erit nullum, quia cum illa intentione potest simul esse intentio faciendi sacramentum, et ita poterunt concurrere omnia ad veritatem sacramenti necessaria. Quod si interdum defuerit intentio faciendi sacramentum, tunc quidem sacramentum erit nullum; non tamen propter mutationem formæ, aut materiæ, quæ de se sufficerent, cum solum accidentaliter mutatio in eis facta sit, sed ex alio defectu intentionis. Hæc assertio cum omnibus, quæ in illius explicatione, et probatione dicta sunt, sufficienter constat ex dictis in secunda opinione, quam in hoc sensu veram censeo. Unde fit nihil referre, quod quis intendat aliquid addere, ut essentialē, quod essentialē non est; nam, si nihil ex essentialibus excludat, nec sensum formæ variet, mutatio non est substantialis, nec necessario excludit intentio faciendi sacramentum. Dices: hoc ipso quod aliquid additur, ut essentialē, quod a Christo non est impositum, mutatur signum: nam est aliud totum, quam a

Christo sit institutum. Respondetur negando assumptum, quia in prædicto casu vere ponitur in forma, quod aliquid Christus instituit, et quamvis materialiter, et ex privato errore addatur aliquid, quod putatur a Christo etiam esse additum, tamen illud non mutat sensum, et ita non excludit id quod Christus instituit, et per generalem intentionem faciendi sacramentum corrigitur privatus error, et ex vi illius intentionis exhibetur signum, quod Christus voluit exhiberi, licet per accidens aliquid illi addatur.

10. *Intendens novum ritum et ponens verbum ambiguum ex intentione sensus falsi, sacramentum non facit.* — Dico secundo: quando per mutationem redditur ambiguus sensus formæ, tunc, si minister ita intendat introducere novum ritum, ut non intendat verum sensum, sed falsum, atque erroneum per talem formam significare, tunc mutatio est substantialis, et sufficiens ad irritandum sacramentum, non solum ex defectu intentionis, sed etiam ex defectu veræ formæ, et quoad hanc assertionem admitto primam opinionem supra citatam, et juxta eandem intelligo sententiam Zachariæ Pap., in d. c. *Retulerunt*, et patet ex supra dictis de mutatione proprii verbi formæ in aliud verbum æquivocum; diximus enim, si fiat animo significandi aliud, quam per formam significetur, mutationem esse substantialem; sed idem est in præsentem. Et ratio est clara, quia in eo casu formaliter et proprie aliud est signum, quod minister exhibere intendit, quam quod Christus instituit; nam quod materialis sonus sit idem, vel diversus, non refert, ut supra dictum est, sed significatio est attendenda; hic autem, licet verba quoad materialem sonum sint eadem, vel parum diversa, tamen significatio, quæ intenditur, est longe alia; et per intentionem proferentis determinantur verba ad talem significationem; fit ergo tunc substantialis mutatio, sicut e contrario est substantialis identitas, quando significatio est eadem, licet sonus vocis varietur; neque contra hanc assertionem procedunt argumenta secundæ sententiæ, ut per se constat. Et juxta eandem optime intelligitur, quomodo interdum, si minister intendat addere, ut essentialē, aliquid quod essentialē non est, possit ea ratione mutatio esse substantialis, ut D. Thomas docuit, art. 8; est enim hoc verum, quando inde oriri potest sensus aliquis contrarius veritati formæ, et ille est intentus; ut si quis addat in forma baptismi: *Et Bea-*

tissimæ Virginis, intendens significare et profiteri quaternitatem personarum, earumque æqualitatem; tunc enim revera est mutatio substantialis, quanquam, si per eadem verba solum intenderet Virginem invocare, ut Dei matrem, mutatio esset solum accidentalis.

SECTIO VI.

Utrum eadem materia et forma in singulis sacramentis pro universa Ecclesia sufficiat.

1. *Non est identitas accidentalis in omnibus Ecclesie locis. — Explicatio quæstionis.* — Distinguere oportet ritum accidentalem ab essentiali et necessitate sacramenti a necessitate præcepti; hoc enim loco, ut antea diximus, non agimus de necessitate præcepti, sed sacramenti; nec de ritu accidentali, sed essentiali. Unde ut certum supponimus, in sacramentis tradendis non servari eundem ritum accidentalem in universa Ecclesia, et consequenter ad servanda præcepta, quæ in diversis provinciis vel regionibus obligare possunt, non sufficere ubique servare ritum accidentalem, qui alicubi est in usu, quod est extra controversiam inter Catholicos, et constabit latius ex his, quæ postea dicemus de cæremoniis sacramentorum, et præcipue de singulis sacramentis in specie. Quod ergo nunc inquirimus est, an non obstantibus præceptis Ecclesiasticis, vel diversis ritibus variarum Ecclesiarum, ea materia et forma, quæ sufficit ad verum sacramentum constituendum in una parte Ecclesie, sufficiat ubique. Non enim desunt Catholici, qui hoc negent, præsertim ex Doctoribus Juris canonici, ut Innoc., cum aliis, in cap. 1, de Bapt., et Felin., in c. Quæ in Ecclesiarum, de Constit., n. 26, qui sentiunt, Græcis sufficere ad baptismum conficiendum formam illam, Baptizetur servus Christi, et ad consecrandum corpus Domini satis eisdem esse panem fermentatum; si tamen aliquis in Latina Ecclesia illa forma, vel hac materia uti velit, neque baptismum, neque Eucharistiam effecturum. Difficileque exemplum videtur de sacramento Matrimonii; nam si aliqui nunc contrahant privatim in aliquo loco, ubi decretum Concilii Trident. promulgatum non sit, illi consensus sic expressi erunt ibi sufficiens forma et materia sacramenti, qui tamen non sufficiunt in universa Ecclesia, ut in Italia, v. gr., vel Hispania, ubi ritus a Concilio institutus necessarius est.

2. *Eadem materia et forma sacramenti est*

ubique terrarum. — Utens materia et forma Græcorum, verum conficit sacramentum. — Dicendum nihilominus est, sacramenta omnia eadem materia et forma constare in universa Ecclesia; atque adeo id, quod in uno loco sufficit, sufficere ubique ut sacramentum factum teneat, quamvis fortasse peccet minister accidentalem ritum omittendo. Hanc assertionem observavit Adrianus contra prædictos Canonistas, in loco cit., sect. præced., in materia de baptismo, et est communis Theologorum disputantium de sacramentis in specie, et convinci potest illismet exemplis de baptismo et Eucharistia; nam, ut propriis locis videbimus, certissimum est, in illis casibus vera effici sacramenta, si quis in Ecclesia Latina utatur forma, vel materia Græcorum. Ratio vero est, quia duobus modis potest intelligi formam aliquam, vel materiam sufficere in una parte Ecclesie, et non in alia, scilicet vel ex institutione Christi, vel ex præcepto Ecclesie; neutrum autem dici potest probabiliter. Quod patet primo de Christi institutione; nam, sicut Christus unam instituit Ecclesiam, ita unam tantum fecit Sacramentorum institutionem, quæ universæ Ecclesie deserviret, et ideo dixit Paul., in hac Ecclesia esse unum Deum, unam fidem, unum baptismum. Quis enim fingat instituisse Christum unum ritum baptismi, vel Eucharistie pro Græcis, et alium pro Latinis? Hoc sane alienum est ab omni ratione et ab omni Ecclesie sensu, ut ex Concil. Florent. satis constat; alioqui, eadem facilitate posset aliquis fingere instituisse unum ritum pro Judæis, et alium pro Gentilibus, aut quid simile; aut certe dici posset, diversis temporibus posse variari sacramentorum essentias, ita ut quod nunc sufficit, antea non fuerit sufficiens, vel e contrario, quia non est major ratio de diversis locis, quam de diversis temporibus, et sicut potuit Christus aliquid instituere pro uno loco et aliud pro alio, ita etiam, ut aliquid in uno tempore fieret, et aliud in alio. Et quidem, si fundamenta prioris sententiæ alicujus momenti essent, non minus probarent de diversis temporibus, quam de diversis locis; quinimo in multis sacramentis major mutatio facta videtur in temporibus diversis, quam in locis; esset autem absurdissimum dicere, sacramenta ex Christi institutione essentialiter variari pro temporum diversitate; quia neque ista multiplex institutio Christi a principio facta fuit, aut nobis tradita; nec postea aliquo tempore per spe-

cialem revelationem manifestata est; una est ergo institutio, quæ immutabilis perseverat omni tempore; eadem ergo est universalis pro omnibus locis. Tandem ex fine hujus institutionis, quem supra tractavimus, idem probari potest; instituta enim sunt sacramenta, ut Christi populus in unum religionis nomen congregaretur, et ideo necesse fuit, ut una esset pro omnibus institutio.

3. *Ecclesia non potest mutare institutionem a Christo factam.* — Altera vero pars de Ecclesie præcepto facile convinci potest; quia Ecclesia non potest mutare, aut impedire institutionem a Christo factam; non enim ab illo accepit potestatem excellentiæ sacramentis superiorem, sed ministerialem et sacramentis alligatam, ut latius dicturi sumus quæst. 64; ergo nec potest facere Ecclesia, ut sine materia et forma a Christo institutis fiat sacramentum, neque etiam potest impedire, quin ex materia et forma essentiali fiat sacramentum a debito ministro; ergo non potest Ecclesia efficere, ut materia et forma, quæ in una Ecclesia sufficit, non sufficiat in universa Ecclesia, saltem ut sacramentum factum teneat; patet ultima hæc consequentia, quia si illa forma et materia in uno loco sufficit, illa sola est essentialis ex Christi institutione; ergo eadem sufficit in quolibet loco, si ibi applicetur. Confirmatur: nam, licet Ecclesia prohibeat alicui ministro, ne conficiat sacramentum, si non privet illum aliqua re substantiali, ac necessaria ad sacramentum, sola prohibitio non satis est ad irritandum sacramentum ab hujusmodi ministro factum, etiamsi ipse peccet sacramentum conferendo contra Ecclesie prohibitionem; ergo similiter, licet Ecclesia prohibeat, sacramentum fieri ex tali materia, nisi adhibita tali circumstantia accidentali, aut ex tali forma, nisi tali modo prolata, hæc prohibitio non erit sufficiens ad irritandum sacramentum, si substantialis materia et forma in eo servetur, licet peccet sacerdos accidentalem illam solemnitatem omittendo; ergo quamvis in diversis regionibus et locis Ecclesie diversi ritus accidentales præcepti sint, id obstare non potest, quominus ad veritatem sacramenti sufficiant materia et forma essentialis, quocumque modo vel ritu adhibeantur.

4. *Canonistarum quorundam error unde. — Ecclesia in matrimonio non mutavit materiam et formam.* — Ad fundamenta ergo prioris sententiæ responderetur, eos auctores errasse, non satis distinguendo necessitatem

sacramenti a necessitate præcepti; unde illa duo exempla, quæ afferunt, potius contra illos demonstrant, ut diximus: nam in eis casibus peccare posset sacerdos ita conficiendo sacramentum, ipsum autem validum esset. Ad tertium exemplum de matrimonio responderetur, idem argumentum fieri posse de temporibus diversis, nam eadem signa mutui consensus, quæ antea sufficerent ad sacramentum matrimonii, nunc non sufficient, si absque Parocho, et testibus exhibeantur, et tamen non propterea dicendum est, materiam et formam essentialem, quæ antea sufficiebant ad matrimonium, nunc non sufficere, non enim potuisset Ecclesia illas mutare. Sed dicendum potius est, materiam et formam hujus sacramenti esse mutuum consensum expressum et ad contractum matrimonii perficiendum inter baptizatos sufficientem; quam materiam et formam Ecclesia mutare non potest, neque impedire, quominus illis adhibitis fiat sacramentum: at vero, quia hoc sacramentum supponit contractum, in quo fundatur, et valor seu efficacia contractus pendere potest ex modo contrahendi, qui modus potest ab Ecclesia præscribi, ideo fieri potest, ut expressio consensus, quæ aliquando sufficit ad valorem contractus sine aliqua solemnitate, alio tempore sine illa non sit sufficiens; et ita non variatur formaliter, ac proprie materia et forma sacramenti, sed id, quod erat materia et forma, amittit illud esse, ratione cujus poterat esse materia et forma sacramenti; sicut si Ecclesia posset efficere, ut id quod erat panis, jam non sit panis, vel, ut hæc vox, *Corpus*, non significaret quod nunc significat, sed rem aliam, tunc consequenter faceret, ut ex illa re, vel ex illo verbo non fieret sacramentum; non quidem mutando formam, vel materiam sacramenti proprie ac formaliter, sed remote, quasi destruendo rem ipsam, quæ poterat esse forma, vel materia sacramenti.

QUÆSTIO LXI.

DE NECESSITATE SACRAMENTORUM, IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de necessitate sacramentorum.

Et circa hoc quærentur quatuor.

1. *Utrum sacramenta sint necessaria ad salutem humanam.*